



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 115. Nova septimi Canonis forma a Legatis exhibita Hispanis  
Præsulibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI  
A. C. 1562.

omnesque suas vires auctoritatemque impensurus esset, ut eidem sese opponeret. Postea Mantuanus subjunxit, Navagerum nec Theologum, nec Sacrorum Canonum esse peritum, proin gravissimis Synodi negotiis parum idoneum: de Lotharingii autem Cardinalis prudentia nihil memorabat Mantuanus, cum aliunde ipsimet Pontifici haud ignotum esset, quod hic Præsul præter ingenii aciem haud levi potentia, qua sua molimina etiam valida in ad effectum deducere posset, præditus foret. Cum ergo Simonetta quoque Legatus Vicecomiti declararet, quod ejusdem cum Mantuano opinionis esset, hinc Papa suum mutabat consilium.

§. CXV.

*Nova septimi Canonis forma a Legatis exhibita Hispanis Præsulibus.*

*Pallav. c. 16.*  
*num. 2.*

*Lett. Legat.*  
*ad Borrom.*

*28. Octobr.*

*Et 1. Nov.*

*epist. Fuscariarii ad Moron.*

*2. Nov.*

Ex altera parte Legati, cum se solos oneri ferendo pares, rebusque ad prosperum exitum deducendis idoneos exhibere gestirent, nec sollicitudini, nec labori parcebant, (\*) quæ propter

(\*) Ut Lectori manifestum fiat, quam iniquus interpretes sit Continuator hinc ipsa Pallavicini ex quo ipse hæc defloravit, verba adducam cum igitur, inquit ille, ipsi munus legationis



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

propter in Congregatione Generali habita die vigesima Octobris, cum diversas circa præcipuam controversiam Patrum sententias ferri, atque, ut cetera quoque decreta sæpius immutarentur, postulari cernerent, alios quatuor Præsules jam antea nominatis adjecerunt, dato negotio, ut capitula & Canones cum reliquis Patribus conficerent. Ex his quatuor tres erant Præsules ex Ordine Fratrum Prædicatorum, scilicet Naclantus Clodiensis Episcopus, Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis, & Ægidius Fuscararius Mutinensis Antistes unacum Castanea Rossanensi Archiepiscopo. Porro vix credi potest, quanta solertia novæ excogitatæ fuerint formulæ septimi Canonis, circa quem præcipuaolvebatur controversia: sedulo etiam exquirebantur voces ejusmodi, quæ fidei dogma plene ac perspicue declararent, quin tamen novis altercationibus ansa præberetur, ac simul cunctis cavillationibus aditus præcluderetur. Tandem novam formam penitus digestam Legati die vigesima octava Octobris ad Hispanos deferebant, eo fine, ut ea suis numeris absoluta in crastino Patrum confessu ab omnibus approbaretur; verum hi Episcopi

*integrum prosequerentur, ac vellent, nec labori corporis, nec animi sollicitudini parcebant.*



**Sæcul XVI.** scopi (\*) illam rursus proponere, ac pro  
**A. C. 1562.** illius acceptatione suffragia colligere  
 statuerunt, postmodum tamen eorum potissimum quamdam concordiam rationem inire studebant.

## §. CXVI.

*Horum consilio oblitatus Granatensis Archipræsul.*

*Pallav. l. c.* Postea ex hisce Præsulibus Hispanis plures, atque inter eos Guerrerus Granatensis Archiepiscopus, necnon Ayala Segobiensis Antistes colloquii copiam petebant, ubi ambo hi Præsules magna verborum contentione perorabant, hæc exponentes: jure optimo petimus, ut Canon ille, qui ætate Julii III. constitutus fuerat, iisdem vocibus promulgetur, atque dum agebatur de Sacramento Ordinis, ac de Hierarchia, minime dissimularentur prærogative a Christo traditæ Episcopatus, qui Supremus est inter Ordines, & gradus præcipuus Hierarchiæ. Id ubi recusabitur, querelas nostras deferemus ad Regem Catholicum, ac reliquos Principes, nec Synodum ultra accedemus. Adjecit præterea Guerrerus Granatensis

(\*) Idem non ab Episcopis Hispanis, sed a Papæ Legatis factum fuisse testatur Pallavicinus.